Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 659
Quelle:
Copyright:

Atque hinc ad Successorem *Ottonis Henricum S.* seu *Claudum* celebrandum transitur:

Vorassent lupi populum
Finis esset omnium.
Ipsi celi compluerent.
Elementa ruerent.
Nisi Heinricus uiueret
Nisi princeps fieret.
Contra domini consilium
Nec magnum nec minimum.
In tribus pene mensibus
Omnis cessit gemitus
Henricum sine sanguine
Prefecit motharie.
Triumphat baioaria
Fortis seruit franconia
Collum cassa fallacia
Flectit allemania
Dat manus lotharingia
Fida est thurinniga
Pugnax currit saxonia
Ad subiectum obuia
Recep — — solitum
Sclauis in opprobrium.
Vt sub tributo seruiat
Sicut quondam fecerat.
Currunt isti currunt illi
Fit concursus — —
Nunc heinricus gaudeat
Nunc felix ualeat — —
Et plura aevo vel industria deleta.

Quod dicitur, *Ottonem terrae malitia* ad sidera ascendisse, innuit, Nostrum iis adstipulatum, qui veneno sublatum voluere. Quid sibi velit *Motharia* in *Henrico*, nescio, nisi aut *Monarchiam* scribere debebat Librarius syllaba tertia corrupta, aut e voce *Mota* seu *Motha*, quod aevo illo *Curiam*, item *Castrum* in edito praecipue *feudale* signabat, nomen collectivum sibi finxerit Autor.

II. *fol.* 63. *De Conlatione Tertia Theone Abbatis Capitulo XXI.* Excerptum, quod extat in *Cassiani Collat.* XXIII. c. 21. edit. *Atrebat.* 1628. p. 852. f. hoc initio: *Nec tamen ex eo debemus nos a Dominica communione suspendere, quia nos agnoscimus peccatores* &c.

III. *fol.* 64. *De Eucharistia.* Brevia sensa *Cypriani*, *Ambrosii*, *Hilarii* et *Hieronymi* ejusdem cum praecedente Excerpto argumenti.

IV. *fol. eod. p. 2. Exortatoria Optima Johannis* (Chrys.) *Constantinopolitani Episcopi Ad Paenitentiam Quam Fecit Super Salmum Quinquagesimum Excarsatum De Recuperatione Lapsi.* To *Excarsatum* ab *Excarpsum* omisso *p.* et istud ab *Excerpo* seu *Carpo carpsi.* Initium Laciniae: *O grandis misericordia dei cum omnis mundus conclusus in peccatis esset* &c. Voci *universitatis* et *trine negationis Petri* impositae sunt glossae theotiscae *dero allibi* et *dirs hero lounogo.* Ceterum Lacinia haec in *Chrysostomi* Operibus haud indiligenter quaesita operam lusit, id, quod etiam de sequente intelligendum.

V.